

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum volumen tripartitum**

**Creidius, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

De secundo

[urn:nbn:de:bsz:31-122776](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122776)

2. *Avera penitentia*, quam probat  
 1. *Peccatorum agnitio*. Non uritur statu gloriationis ut Pharisæus, nec statu translationis, ut primi parentes, nec statu excusationis, ut Saulus, nec statu negationis ut Cain, nec statu desperationis, ut Judas, sed statu deprecationis, & miserum peccatorem esse confitetur, juxta illud 1. Joh. 1. v. 9. & Salomonis Prov. 28. v. 13.

2. *Seria contritio*, dum cor percutit, ut antea dictum est. Ita nos quoque scindamus corda nostra, Joel. 2. vers. 13. & peccata cum Petro depleamus, Matt. 26. v. 75. quæ ita secundum Deum tristitia est, poenitentiam operatur in salutem, cujus neminem poeniteat, 2. Cor. 7. v. 10.

3. *Gratia Dei apprehensio*. Hæc quasi anima est conversionis, sine qua contritio dolorem gignit ad mortem 2. Cor. 7. v. 10. Idcirco non tantum pudore suffunditur hic publicanus ex agnitione peccatorum, sed & ad gratiam Dei confugit, quæ semper includit meritum filii, per quem nos sibi gratos fecit, Eph. 1. vers. 6. Hoc intendit per vocem *ἰλασθητι*, quæ *ἰλασθῆναι* respicit, quod Deus in Christo nobis proposuit per fidem in sanguine ejus, Rom. 3. v. 25.

Hæc sacra quasi anchora est, ad quam nos quoque confugere debemus, ne in peccatis desperemus, sed misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilium opportunum, Eb. 4. v. 16.

4. *Via melioris ingressio*. Descendit enim non in telonium injustitiæ & fraudum officinam, sed in suam domum, se vivens imposterum Deo in justitia & sanctitate, Luc. 1. v. 75. Ita nos quoque absoluti à peccatis caveamus ne rursus implicemur, 2. Pet. 2. v. 20. sed declinemus à malo & faciamus bonum, Ps. 34. v. 15. militemus bonam militiam,

2. Tim. 4. v. 7. crucifigamus carnem, Gal. 5. v. 14. & in nova vita ambulemus, Romanor. 6. v. 4.

### De Secundo.

**R**estat *Christi sententia*, cujus Evangelista subjungit

1. *Pronunciationem*. Nam publicanus dicitur justificatus descendisse in domum suam præ Pharisæo. Si Ethnicis sapientibus vel etiam nobis ipsis Christianis ex sensu nostro hic Pharisæus judicandus fuisset, utique præ publicano palmam justitiæ ipsi tribuissemus. Nam homo aspicit, quæ sunt præ oculis, 1. Sam. 16. v. 7. sed Christus non secundum visionem oculorum, neq; secundum auditum aurium suarum judicat, Esa. 11. v. 3. sed cor, 1. Samuel. 16. vers. 7. & fidem respicit, Jerem. 5. v. 3. vide igitur quid facias hypocrita, certè hunc judicem fallere non poteris, qui non tantum externa dicta & facta novit omnia, sed etiam corda scrutatur, Actor. 1. vers. 24. renes probat, Jerem. 17. vers. 10. & novit quid sit in homine, Joh. 2. vers. 25.

2. *Justam rationem*, quam proverbiali apophthegmati Christus includit: Qui se extollit, inquit, humiliabitur, & qui se humiliat, extolletur. Prius membrum ad Pharisæum, posterius verò ad Publicanum referri debet.

Nos probè notemus hanc Christi censuram, ut superbiam cane pejus & angue detestemur, & contra humilitati studeamus. Nam Deus resistit superbis, humilibus autem dat gratiam. Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos extollat suo tempore, 1. Pet. 5. vers. 6.